

derunt, licet plerarumque civitatum etiam interfuerit, ne quicquam in detrimentum viæ regiæ committeretur. Animadvertis etiam, quod hoc viæ jus Lusati tanta contentione defenderunt, rem non esse parvi, sed maximi momenti.

XV.

Longe autem magis frequentari coepit hæc via, postquam Fridericus II. princeps Elector Saxonie auctoritate FRIDERICI III. Imperatoris, anno 1458. urbi Lipsiensi permisit, ut solemnes nundinas ter singulis annis celebraret, simulque jus illud decantatissimum, stapulæ, quod dicunt, concessit, atque adeo plures undiquaque mercatores merces tum importantes, tum petituri & ad externos denuo exportaturi Lipsiam petierunt. Ab his certe temporibus via hæc celebrior facta, & non solum ab Imperatoribus Bohemieque Regibus, sed & a Saxonie Ducibus fuit confirmata. Possent hic multa variorum Imperatorum, Regum Principumque edicta in medium afferri, quibus tota hæc via designatur. Sed nolumus hic justo esse prolixiores, ne nauseam lectori moveamus. Qua de causa illud tantum hoc loco adducimus, quod quatuor post annis, quam nundinæ Lipsienses sunt institutæ, litis, inter Joannem, Sagani Ducem, & Gorlicenses ortæ, decidendæ causa proposuit GEORGIVS, Bohemie Rex, in quo viam hanc ita descripsit: also daß alle und iegliche bedackte, verbundene, mit Salz und andere Wagen, Kauffleute und Fuhrleute mit welcherley Waaren, oder Kauffmanschaft leer oder geladen von Sachsen, Thüringen und Meissen in die Lande gen Pohlen und Schlesien reisen, reiten, treiben oder fahren, und gen Eulenburg oder Grimum kommen, und von den auf Oschaz, Hayn an der Elbe gelegen, solten fürder auf Künßbrück, Camenz, Budiszin, Görlitz, Lauban und den fürter gegen Pohlen oder in die Schlesien reisen, reiten, treiben oder fahren, und also wiederum alle und iegliche bedeckte, verbundene, mit Salz, und alle andere Wagen Kauffleute und Fuhr-

Fuhr-